
Sönnerberg, Jacob

Sijudicatio emendationum
systematis sexualis
Linneani


THE NEW YORK • BOTANICAL GARDEN •
PRO SCIENTIA
SALUTE
POPULIQUE
• 1891 •
LIBRARY

Dijudicatio

EMENDATIONUM SYSTEMATIS SEXUALIS LINNEANI.

Quam,

Jussu Ampl. Ord. Philos. Lund.

modeste exhibent

JACOB SÖNNERBERG,

Med. Lic. Philos. Mag. & Anat. Doc.

et

ANDREAS PETRUS SEGERSTEEN,

Ostrogothus.

D. 21 *Novemb.* 1798, *h. & l. s.*

Typis C. F. BERLING,

Regiæ Academiæ Carolin. Typograph.

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS

SUMMÆ FIDEI VIRO,

PRINCIPI SENATUS REGII, REGNIQUE DROTZETO

EXCELLENTISSIMO,

REGIORUM DICASTERIORUM PRÆSIDI,

SUMMOQUE IN PATRIA, TUM JUSTITIÆ,

TUM RERUM CIVILIUM MINISTRO

GRAVISSIMO,

REGIÆ ACADEMIÆ CAROLINÆ CANCELLARIO

ILLUSTRISSIMO,

REGIORUM ORDINUM EQUITI AURATO

ET COMMENDATORI SPLENDIDISSIMO,

COMITI CELSISSIMO,

DOMINO

CARL AXEL

WACHTMEISTER.

Licet diligenter in hoc elaboraverim, ut, qui ſcientiam naturalem callent, hoc quantillum ſpeci-

ſpecimen botanicum alicujus pretii haberent; adeo tamen inſolens non ſum, ut, quod TIBI *offeratur, dignum illud judicem. Ne vero ei deſit, de quo magnopere ſibi gloriari poſſit,* CELSISSIMI TUI NOMINIS *ſplendore & commendatione uti ſum auſus.* TIBI *igitur,* ILLUSTRISSIME CANCELLARIE, *hoc tirocinium dicat & conſecrat, ſortemque ſuam auctor humillimus commendat.*

NOMINIS TUI ILLUSTRISSIMI
ET CELSISSIMI

Cultor devotiſſimus
JACOB SÖNNERBERG.

Förbättringar, förändringar och omstöpningar af Systemer vara så länge vetenskaper dyrkas. — Ofta nog torde man igenkänna driffjädrarne härtil uti en, vissa tider gångse re-formsjuka; men under stundom är det ock behof, åtminstone efter Reformatorns omdöme.

RETZIUS.

Quæ exſtruxerunt quondam fauſte, diruunt; reædificant; nec meliora condunt.

Crit. Bot.

Illam, ſi ordinem, facilitatem & fidem ſpectes, præ ceteris omnibus, *ſyſtematis ſexualis Linn.* eſſe præſtantiam, ut neque cum priſtino quodam illud commutare, nec plane tollere, vel novum aliquod ejus loco condere, quis conatus fuerit, experientia docuit. Omnibus tamen æque ſatisfacere non potuit. Hinc immutare illud & emendare recentior ætas ſtuduit. Quo autem ſucceſſu dijudicare cum nobis injunctum ſit, opus quidem arduum intelligimus illam eſſe dijudicationem, periculi & difficultatis plenum; quo autem difficilius, eo quoque præclarius; & cum, quæ animadvertimus, absque odio & ſtudio proponimus, nullius nominis & gloriæ invidentes, judicio noſtro neminem offendere, nec ullius mentem a nobis alienare, ſperamus.

Hiſtoriam emendationum Syſtematis ſexualis Linneani perluſtranti patebit, minorem in primis claſſium numerum Botanicos voluiſſe, ut magis

naturales, & exceptionibus minus obnoxiæ forent. Inter illos igitur, qui hoc consilio systema sexuale immutatum proposuerunt primus est cel. MEDICUS, naturæ scrutator acutissimus, sed, quod sui ipsius & scientiæ caussa maxime dolemus, nomini Linneano, & immortalis viri discipulis, ut videtur, inimicissimus. Ob difficultatem, quam, tironibus in primis, adferunt classes *monœciæ & polygamiæ*, eas exclusit, & in ceteris classibus, ex numero, proportione aut nexu staminum desumtis, earum stirpes collocavit. De *diœcia* hoc idem judicavit; sed *in gratiam dendrophilorum, quibus magni intersit arbores sexu distinctas probe dignoscere*, eam retinuit *). Mutationem hanc ad leges systematicas haut esse factam, & levissimum esse pro servanda diœcia, abjectis monœciæ & polygamiæ classibus, ejus argumentum, neminem latere credimus. Nec difficilius esse quis dixerit, num stamina in flore quodam adsint inquirere, quam ea numerare, cum exigua sæpe sint & ægre distinguantur. Quod vero præmaturum sic tulerat judicium, sequenti mox anno, in insigne ingenui hominis documentum, retribuit, & classes a se omissas in systemate iterum recepit, hujus partem essentialem constituere lubens agnovit, & *classem polygamiæ cum monœcia & diœcia adeo cohærere, ut, retentis hisce, ejici illa non possit,* affirmavit *).

Eodem

*) *Beyträge zur schönen Gartenkunst, und Botanische Beobachtungen des Jahres* 1782.

**) *Botanische Beobachtungen des Jahres* 1783.

Eodem vero tempore, quo *polygamiam* denuo recepit cl. MEDICUS, ipſam rejecit ill. a LINNÉ fil. *). Laceratio generum naturalium inde orta, variatio, quam cultura interdum in ſexu efficit, & in primis difficultates, quando ex his hermaphroditus ſive abortiens flos ſe unice offert, rationes ſunt, quibus niſus hanc reformationem inſtituit. Cui vero immutationi ſupra allatum cl. MEDICI judicium in præſenti ſufficiat, cum longiori hujus claſſis defenſione in ſequentibus opus ſit.

Qui vero ex emendatoribus ſyſtematis ſexualis Linneani maximam ſibi auctoritatem acquiſivit, & cujus veſtigiis reliqui fere omnes inſtiterunt, eſt ill. THUNBERG, Profeſſor Upſalienſis celeberrimus, qui, *ne Linneanas omnes ſerviliter adoptaret*, quattuor claſſes, *gynandriam* ſcilicet, *monœciam*, *diœciam* & *polygamiam*, non modo ut inutiles, verum etiam ut incertas & ſpurias ſejunxit, earumque plantas ad alias claſſes amandavit **). Ob propriam & ſingularem floris ſtructuram de *gynandria* rejicienda nullus ante ill. THUNBERG cogitavit. Illi vero in tota hac claſſe vix quam *orchideæ* aliæ gynandræ ſunt, *ſi vel illæ ita appellari mereantur, quæ adeo piſtilli partes habent confuſas, ut de ſtylo & ſtigmate vix quidquam certi ſtatuendum.* Nihil igitur impedire credit, quo minus etiam hæc familia, antheris duabus inſtructa, ad *diandriam* referatur. — Primum autem hoc argumentum ad

exclu-

*) *Supplementum plantarum* Brunsvigæ 1783.
**) *Flora Japonica.* Lipſiæ 1784.

excludendam classem parum facere credimus; si enim verum esset, quod præter orchideas vix aliæ gynandræ sint, ad propriam tamen classem constituendam solus sufficeret orchidearum ordo; paucitatem enim vel multitudinem stirpium in condendis classibus minime respexit LINNEUS, cujus exempla sunt monandria, heptandria, enneandria, polyadelphia. Jam vero, licet magni viri auctoritati & experientiæ cedere debeamus, & cum illo quædam genera ad alias classes referre; plurima tamen remaneant. Inter genera, quæ excludenda censuit ill. vir, *Salacia* & *Stilago* sunt, cum stamina eorum germini, non stylo, insident. Est vero germen *pistilli* pars, & perinde est, cui parti, modo pistillo stamina adhæreant. De *Aristolochia* ipse fatetur veram esse gynandram, cui plurima alia accedunt; unde classis haut ita exigua fit, ut ejus ergo rejici debeat. Cum ulterius num *orchideæ* gynandræ sint ill. auctor addubitat, concedimus quidem, singularem & fere petaliformem esse earum stylum; stigmate tamen instructum esse nemo negaverit, adeoque nec genuinum esse stylum. Et cum huic stylo stamina insident, nihil ad mutationem conferre credimus ejus figuram, quæ etiam in genere *Cannæ* eandem speciem habet, & quod inde ad gynandriam referendum esse censet cel. MEDICUS *). Neque magis alienum est, ut egregie habet cel. van GEUNS **), stylum petaliformem in orchidibus dari,

*) *Botanische Beobacht. des Jahres* 1783. p. 250.

**) *Annalen der Botanik, von D:r* P. USTERI, III St. p. 23.

dari, quam petaloidea ſtigmata, quæ omnes in *Iridis* genere agnoſcimus. Cum igitur gynandriæ ſtirpes non minus ac *umbellatæ*, *papilionaceæ*, *ringentes*, *cruciatæ* &c. inter ſe conveniant, & ordinem naturalem efficiant, temerarium foret & methodo noxium pro numero ſtaminum illas disponere, in primis cum hic ipſe numerus varius ſit, adeoque ipſa diſpoſitio difficilis; plures enim orchidearum monandræ ſunt; omnes tamen, ne genus naturale laceretur, ad diandriam referre ſvadet ill. THUNBERG. Contendere igitur cum cel. MEDICO audemus, claſſem hanc, rejectis omnibus ſpuriis generibus, ſyſtematis ſexualis partem eſſe omnino eſſentialem *).

Monœciæ & *diœciæ* claſſes vel ſeparatas, vel ſub nomine *diclinicæ* in unam contractas lubenter retinuiſſet, *ni naturæ ipſi repugnaſſet*, *& plurimæ in examinandis vegetabilibus difficultates id ipſum impediviſſent*; earum igitur ſtirpes, *ipſa natura viam monſtrante*, ad alias claſſes retulit. — In ſyſtemate artificiali, quod nota nititur a ſyſtematico præfixa, disponuntur vegetabilia ad hanc ipſam notam — quæ in ſyſtemate Linneano eſt ſtaminum numerus, ſitus & proportio — ; nulla igitur naturæ convenientiæ ratio habetur, quare ejusmodi dis-

b poſitio

*) So bald man eine künſtliche klaſſification annimmt, die ſich auf den Staubfaden und Griffelbau gründet, ſo bleibt die Claſſe Gynandria ein wahres Bedürfniſs. MEDICUS *über einige künſtliche Geſchlechter aus der Malvenfamilie* u. ſ. w. p. 146.

poſitio artificialis naturæ repugnare nequit; nec præſtantius ſyſtema Linneanum ideo judicandum, quod aliquot plures ordines naturales retinuerit. Neque, quod alterum eſt argumentum, facilioris methodi ergo excludi debent hæ claſſes. Nos enim aut omnia fallunt, aut in dato quodam flore facilius eſt videre, num ſola ſtamina, absque piſtillo, adſint, quam numerum eorum obſervare. Nullum igitur tironibus negotium facere videntur hæ claſſes, maximum vero, ſi excluderentur, & ſtirpes earum, ad exemplum Thunbergii, in aliis collocarentur claſſibus. Si enim, ut cetera taceamus, ignota ſtirps, dioica & feminea, nobis ſeſe offerat; ſecundum methodum Thunbergianam quomodo ad genuinam claſſem referatur neſcimus; Linneana vero adhibita, aut ad diœciam, aut polygamiam pertinere absque negotio videbimus, & ſic ex habitu & notis reliquis ordinem & genus determinare ulterius poterimus. Obſervatum inſuper eſt, in ſexus diverſitate, quam in numero ſtaminum & piſtillorum naturam eſſe conſtantiorem. Hinc ſecundum methodum Thunbergii dimidia claſſis *diœciæ* pars ex ſyſtemate vegetabilium neceſſe excluderetur, ubi ſtirpium feminearum nulla ratio habeatur. Recte igitur cel. van Geuns *): ſi has plantas femineas etiam in ſyſtema recipere velit Thunbergius (ad ſyſtematis enim perfectionem facit, quod omnes eo contineantur ſtirpes) ut peculiarem *αρεμωνων* claſſem

*) Usteri l. c. p. 28.

ſem condat neceſſe eſt, quo plantas dioicas feminеas referat. — Num vero perfectius fuerit ſyſtema, juxta quod plantæ ejusdem ſpeciei ad diverſas claſſes referri debent, quam illud, ubi genera tantum quædam varii ſexus, adeoque & variæ claſſis, ſpecies contineant, non opus erit, ut multo verborum apparatu disquiram.

Nec reliqua ill. viri argumenta majoris momenti eſſe credimus. Si enim, quod urget, variæ harum claſſium generum ſpecies flores hermaphroditos ſæpe offerunt; maxima tamen pars ſibi conſtans ſemper & ſimilis eſt; illæ igitur tanquam polygamæ rejiciendæ, hæ vero retinendæ ſunt. Quod harum claſſium plura genera ſpecies contineant diclinas, hermaphroditas, monoicas vel dioicas, animadverſio eſt, quæ de omnibus fere reliquis claſſibus valet, & leve mutationis argumentum eſt. Habitus enim, ſi unquam, tunc conſulendus. Sic cum genus Salicis ad *diandriam* refert ill. Thunberg, quia inter quadraginta plures ejus ſpecies *), ſexu diſtinctas, unica ſit hermaphrodita, ſyſtemati & methodo certe male conſulit, in primis cum hujus generis ſpecies ſint, quæ, ob alium ſtaminum numerum, in claſſe diandriæ collocari non debant, e. g. *Salix monandra* **), *tirandra* & *pentandra*. Facilis igitur ſecundum noſtrum judicium harum claſſium defenſio.

*) Syſt. Veget. ed XIII. Lipſ. 1791.

**) Duas diſtinctas ſpecies Linneanas, *helicem* ſcil. & *purpuream*, junxit cel. *Hoffman*, & ſub nomine *monandræ* habet. *Salic.* I. p. 18. t. 1. f. 1, 2; t. 5. f. 1.

Difficilius autem vindicatur claſſis *polygamiæ*, de qua ill. THUNBERG: *ſi vel præcedentes duæ retineri poſſent, omnino abrogari debet, utpote quæ maxime inutilis, & quæ maximam in examinandis plantis cauſſat confuſionem.* Rationes ſuadentes, quibus niſus, hoc de claſſe excludenda judicium tulit, ſunt, quod multæ ſunt plantæ, etiam ad hanc claſſem non relatæ, quibus flores polygami, ut *umbellatis* fere omnibus. *ſyngeneſiæ* maximæ parti, & variis aliis, ut generibus *Rhamni*, *Dioſmæ*, *Ilicis*, *Æſculi*, *Lauri*, cet., quæ etiam aliquos maſculos abortivos gerunt. Graviſſimum contra claſſem eſſe argumentum agnoſcimus; non tamen illis aſſentiendum putamus, qui ut ad polygamiam omnia hæc vegetabilia referantur ſuadent; integros enim ordines locum in ſyſtemate a LINNEO illis præfixum ſervare volumus, cum nulla in iis determinandis difficultas oriatur. Hoc vero vel illud genus polymorphum polygamiæ claſſi immiſceri, quid ſit quod impediat, non perſpicimus. Fortiſſimum vero contra claſſem argumentum, eſt difficultas inquirendi, num planta ignota, quæ ſe polygamam non ſtatim ſiſtit, ad polygamiam referri tuto poſſit. Sed cum nullo modo, ne claſſe quidem ſublata, tolli nequeat hæc confuſio, habitus primum in auxilium vocetur, & ſi fruſtra hic quæritur, locus ſyſtematicus maxime idoneus vegetabili deſignetur, donec genuinum locum tempus & experientia invenerint. Caſus ejusmodi tota die occurrunt. Sed ſuperflua forſan pro hac claſſe conſervan-

ſervanda, præter hoc unum, argumenta ſunt, quod ſcilicet inter monœciam, diœciam & polygamiam ejusmodi ſit naturalis nexus, ut conſervatis illis, hæc omitti nequeat; in primis cum diviſione plantarum in hermaphroditas & polygamas, in claſſe ſyngeneſiæ quam maxime neceſſaria, carere non poſſimus. — Hanc ſyſtematis Linneani mutationem facem quaſi ceteris prætuliſſe, ex ſequentibus patebit.

Cel. Ehrhart, *Floram Hannoveranam* editurus, eo ordine illam disponere voluit, ut non dicliniam tantum, ſed & omnes claſſes, quæ a cohæſione vel antherarum vel filamentorum, itemque quæ a proportione & ſitu deſumtæ ſunt, rejiceret, & XIII tantum priores claſſes, ex ſolo numero ſtaminum confectas, ſervaret *). Conſilium eo magis inopinatum & præceps, quod conſtat, in tota re herbaria numero ſtaminum nihil eſſe fallacius. Mutationis hujus finis eſt claſſium numeri circumſcriptio, quo vegetabilia eo facilius ad claſſes referantur. Primo autem claſſium numerus non adeo ingens eſt, ut difficulter percipiatur; & ſecundo facilitatem potius admiramur, qua plantæ pleræque vel primo adſpectu ab paullulum adſveto claſſi deſignantur, quam numerum claſſium a perill. Linneo præter neceſſitatem auctum credimus. Tertio vero eodem, quo Thunbergiana methodus, defectu laborat, quod ſcilicet quævis planta dioica feminea ab ejusmodi ſyſtemate non commode & ad rigorem

 metho-

*) Usteri l. c. p. 30.

methodi recipitur. Et præterea, licet facilius foret, plantas in minori classium numero disponere, eas tamen ad genera referre multo foret difficilius, etiam si rejectæ classes tanquam ordines adhiberentur, & secundum Linueanam methodum iterum subdividerentur, ut ex *pentandriæ* & *syngenesiæ* classibus apparet, quæ vastissimæ sunt, adeoque, præ reliquis, difficilius in illis distinguuntur genera. Et cum res ita sit comparata, cui bono illa mutatio sit, non intelligimus. Cui accedit, quod secundum methodum Linneanam omnia vegetabilia in duas tantum generaliores & primarias classes primo dispescuntur, quæ iterum, dichotoma quasi subdivisione, in classes minores vel secundarias dividuntur, qua distribuendi ratione, naturæ maxime congrua, memoria & judicium haut parum sublevantur. Classes vero EHRHARTI omnes primariæ sunt.

Cel. SUCKOW *dodecandriæ* & *icosandriæ* classes cum *polyandria* Linn. junxit *). LINNEUM, in separandis icosandriæ & polyandriæ classibus, novam nec alibi observatam divisionis rationem (staminum scil. vel receptaculo vel calyce corollæ insertionem) secutum esse contendit; quod mutationis fundamentum cel. van GEUNS etiam probat, & classes jungendas esse existimat **). Notissimum vero est, fundamentum plantas in classes disponendi, numerum, proportionem & situm staminum esse. Situm

*) *Anfangsgründe der theoretischen und angewandten Botanik* I Th. p. 128, seqq. II Th. p. 3, seqq.

**) USTERI l. c. p. 33.

tum vero non ſolum in icoſandria, ut credit cl. SUCKOW, verum etiam in gynandria obſervavit per-ill. a LINNÉ; immo, ſi ad alterutrum horum re-ferendum ſit, in adelphiæ claſſibus, ſyngeneſiæ, mo-nœciæ, diœciæ & polygamiæ hoc idem fundamen-tum reſpexit. Argumentum autem ipſe ſuum re-fellit cel. vir, cum claſſem ſuam in *thalamifloras* & *anthofloras* ſubdividit, quo errorem commiſit, cu-jus LINNEUM reum fecit, cum nullam aliam claſ-ſem ita dividendam eſſe cenſuerit. Sejuncta igitur maneant icoſandria & polyandria. — Cum in claſſe *dodecandriæ* numerus ſtaminum infra XX ſubſiſtit, facile etiam illa diſtinguitur; adeoque præter ne-ceſſitatem cum duabus ſequentibus junxit egregius vir; ne a præceptis ſyſtematicis ejusmodi conjun-ctionem discrepare commemoremus, quæ claſſes nimis longas, utpote difficillimas, rejiciunt *). — *Didynamiam* ulterius & *tetradynamiam* ſepoſuit, & pro numero ſtaminum tetrandriæ & hexandriæ claſ-ſibus addidit. Quod igitur Botanicorum quisque libenter vitaret, hic ſollicite quæſivit. Imitatorem vero nullum habuit. Natura enim, habitu & pro-portionis filamentorum conſtantia, haut obſcure ſignificavit, harum claſſium ſtirpes, ordines natura-les conſtituentes, omni jure ſuo loco eſſe vindican-das. Hujus vero mutationis uſum ſi quis reſpexe-rit, nullus eſt **). Cum tanta illi numero fides

ſit,

*) *Phil. Bot.* p. 140.

**) Alio conſilio has claſſes immutavit cel MEDICUS. Ex dodecandria *Linn.* duas ſub nomine *Mallonandriæ* eſſin-

ſit, *monœciæ*, *diœciæ* & *polygamiæ* claſſes ab illo etiam eſſe ſepoſitas, nullus miretur. Sed tamen tanquam ordines in aliis claſſibus eas retinuit. De ejusmodi autem immutatione mentem noſtram ſupra jam ſignificavimus.

Qui vero preſſius ill. Thunberg ſequitur eſt cel. Willdenow *). Fatetur tamen, dari plantas, quarum ſexus nunquam mutatur, conſtanter diclinas, e. g. *quercus*, *corylus*, cet. Numerum vero earum tam exiguum eſſe dicit, ut propriam non mereantur claſſem, cum faciliori modo ſecundum ſtaminum numerum aliis claſſibus inſerantur. — Claſſes tamen diclinis longe minores in flora ſua retinuit; & cum præterea numerum ſtaminum in re herbaria nihil valere alio loco urget, certe non intelligimus, cur claſſes a ſe rejectas ſecundum hunc ipſum numerum disponi velit.

Thunbergianam methodum quoque adoptavit cel. Swartz **); eo tamen diſcrimine, ut gynandriæ

xit claſſes, quarum primam *anthomallonandriam* dixit, quæ plantas dodecandras comprehendit, quarum ſtamina corollæ aut calyci inſerta ſunt; hanc autem *thalamomallonandriam*, cui plantas dodecandras annumerat, quibus filamenta receptaculo inſident. Icoſandriam *Linn.* *thalamopolyandriam* vocat, ejusque polyandriam, *anthopolyandriam*. — *Theodora ſpecioſa, ein neues Pflanzengeſchlecht.* Mannh. 1786. Sed neque immutationem, nec denominationem placere quis eſt, qui non intelligat?

*) *Floræ Berolinenſis Prodromus.* Berol. 1787.

**) *Prodrom. nov. Gener. & ſpecier. plantar.* Cfr. *Dianome Epidendri generis Linn. Nov. Act. R. Societat. Scient. Upſal.* Vol. VI.

andriæ classem retinuerit, cum hujus classis stirpes ordinem naturalem, qualem *umbellatæ*, *papilionaceæ* & *semiflosculosæ*, constituunt, qui propria classe contineatur.

Cel. GMELIN vero, cui editio *Systematis naturæ* XIII debetur, præter eas classes, quas jam excluserat ill. THUNBERG, *icosandriam* separavit, & cum *polyandria* junxit. Rationes suadentes non commemorat. Classem vero quam maxime esse genuinam, & calyce staminifero a reliquis distinctissimam, supra monuimus.

Thunbergianæ methodo addictus, longius adhuc progredi non dubitavit cel. LILJEBLAD *). Si quæstio fuerit de systemate artificiali, vix ullum, Linneano excellentius, excogitari posse agnoscit; mentione autem systematis naturalis facta, rem longe aliter sese habere credit. Et cum methodum naturalem in reliquis historiæ naturalis partibus observaverit LINNEUS, nec in sic dictis familiis plantarum exponendis & generibus constituendis ipsam spreverit; nihil impedire credit, quominus in ipsa classium dispositione magis naturalis ejus methodus adsurgat. Hinc methodum puram reliquit, & *mixtam* proposuit **). Præeunte igitur ill. THUNBERG *polygamiæ*, *diœciæ*, & *monœciæ* classes abjecit; *gynandriam* vero ob singularem stirpium habitum, genuinam esse classem autumat. Ut *syngenesiæ* classis tota naturalis exsisteret, ultimum ejus ordinem, sive

 mono-

*) *Ratio plantas in sedecim classes disponendi.* Diss. Acad. Ups, 1796.

**) *Utkast til en svensk Flora.* Upsala 1792.

monogamiam, pentandriæ claſſi inſeruit, quam disponendi rationem jure inſtitutam credimus; ſaltem impedire non debet ſtaminum antherarum circum piſtillum cohærentia, cum in aliis generibus pentandris hoc idem obſervatur. *Polyadelphiam* cum ſua polyandria combinavit; eundem autem inter monadeſphiam, diadelphiam & polyadelphiam nexum eſſe credimus, ac eſt inter monœciam, diœciam & polygamiam; una enim eademque nota illis communis & præfixa eſt; hinc conſervatis monadelphiæ & diadalphiæ claſſibus, excludi nequit polyadelphia; nam, quod objicit cl. Liljeblad, licet interdum accideret, ut quarundam polyadelphiæ ſtirpium ſtamina filamentis in plura corpora non ſint coalita, ſæpius tamen, & in plerisque conſtans eſt hic claſſis character; nec aliquid in examinandis his plantis difficultatis efficit hæc naturæ inconſtantia, ex habitu enim facile dignoſcuntur; qui enim ſemel ſpeciem *hyperici* genuinam inveſtigaverit, absque ulla fere ſtaminum inſpectione ceteras obvias determinabit. Alterum vero ejus contra claſſem argumentum eſt, quod in quibusdam polyandriæ ſtirpibus ejusmodi filamentorum cohærentia reperitur: ſi ita eſt, milites polyadelphiæ ſunt. *Didynamiam* & *tetradynamiam* utpote naturales ſervavit. Ejus *Polyandria* vaſtiſſima claſſis eſt, & plantas, quibus ſtamina a decem ad mille, receptaculo floris inſidentia, ſunt, comprehendit. Præter polyadelphiæ ſtirpes, *amentaceas* in illa collocavit, quas ob variantem ſtaminum numerum ad aliam claſſem

non

non facile redigi poſſe contendit; quæ cum ita ſint, magis nos conſultum judicamus has plantas cum LINNEO in diœcia diſtribuere, cum hoc evitetur in disponendo dubium. *Dodecandriæ* magnam partem huc quoque retulit, quod ejus ſtirpes a polyandria difficillime diſtinguantur, nec alia hic ſejungendi nota, quam in ſitu ſtaminum, adſit. Numerum ludere verum quidem eſt; in claſſe autem dodecandriæ plerumque infra vigeſimum ſubſiſtit. Si igitur genus aliquod occurrit, cujus ſpecies hunc numerum vel ſemper vel plerumque excedant; in polygamia collocandum, ſervatis reliquis & genuinis. Si vero ex polyandriæ ſtirpibus genus quoddam ſpeciebus conſtantius dodecandris gaudet, ad dodecandriam illud mittere decet. Nec vidimus, quid commodi præ polyandria *Linn*, hæc claſſis tironibus adferat, quæ ſtirpes continet, quibus una eademque claſſis nota præfigi haut commode poteſt. Ordines quidem naturales claſſis obtinet, nullo autem affinitatis vinculo hi cohærent, nullamque ſic claſſi præſtantiam addunt. Illam autem claſſem naturalem potius diceremus, quæ *amentaceas* & *coniferas* tantum contineret, quam quæ cum his *rhœadas*, *tricoccas* & *multiſiliquoſas* jungit. — *Icoſandriam* ut claſſem genuinam, ordine octavam, habet. Cum vero numeri VII & IX rariores ſint, & VIII & X inter ſe valde varient, ut quibusdam ejusdem generis ſpeciebus octo, quibusdam decem ſtamina adſint, immo, in una eademque planta alter flos octo, alter decem ſtamina habeat; melius eſſe credit, *hept-*

an-

andriam, *octandriam* & *enneandriam Linn.* cum ejus *decandria* conjungere, quam genera plantarum valde affinia in diverſas claſſes diſtribuere. Primo autem mole ſua hæc claſſis inſignem tironibus moleſtiam crearet; & ſecundo, licet largiamur numerum ſtaminum æque in his ac in aliis claſſibus eſſe inconſtantem, tantam confuſionem inferre non credimus, ut ejus ergo abjicerentur. *Heptandriæ* ſtirpes adeo parum numeroſæ ſunt, ut facillime inveſtigentur. *Octandriæ* plurima genera ex ſolo habitu dignoſcuntur, etiamſi numerus eſſet inconſtans. De *enneandria*, exigua claſſe, hoc idem valet. Quid quod, ſi claſſis quædam ideo rejiceretur, quod plantas continet, quibus ſtaminum numerus inconſtans eſt, actum ſane eſſet de ſingulis claſſibus, quæ ab numero ſtaminum pendent; & quibusdam conſervatis, ad rigorem ſyntagmatis reliquæ abjici vel immutari nequeunt. — In *triandria Linn.* gramina ſolum diſpoſuit, & reliquas fere plantas triandras in tetrandras collocavit, quoniam earum congeneres ſæpe quattuor ſtamina habent; & hoc modo immutata claſſe, quodammodo naturalis evadit. Si autem quæſtio erit, de commodo, quod tironibus inde redundet, nullum aut exiguum hoc eſſe credimus; immo vero, facta ejusmodi immutatione, plantas inveſtigandi difficultas augeatur neceſſe eſt, cum numerus nomini non reſpondet, & claſſis multitudine ſtirpium difficultatem tironibus parat, quam ex pentandria & ſyngeneſia novus quisque botanicus expertus eſt. Mallemus igitur numeri ſtaminum inconſtantia vexari, quam claſſem condere, cujus nomini nota non reſponderet, & cujus ſtirpes numeroſæ examinaturo negotium faceſſerent. — Plura vero contra hanc immutationem afferre ratio operis prohibet.

Et præcipua hæc eſſe immutationis & emendationis ſyſtematis Linn. exempla credimus, licet plures adhuc exſtitiſſe ejus reformatores non ignoremus, quos vero recenſere a conſilio alienum eſt.



New York Botanic
QK92 .S6
Sonnerberg, Jacob/Dijudica
3 5185 00091 430

